DE ANTIQUITATE MONACHATUS IN HISPANIA.

EPISTOLA

Ad Clarissimum, Eruditissimumque Virum

D. CAJETANUM CENNIUM

AUCTORE

Illustrissimo, & Reverendissimo P. Magistro

D. ALEXANDRO AGUADO

Doctore S. Theol. Complutense, ac totius Ordinis Sancti BASILII Magni

ABBATE GENERALI

A Rev. P. Magistro D. BENEDICTO MONALDINI
Ejusdem Ordinis Basiliani

De Hispano in Latinum Idioma translata.



ROMÆ MDCCLXIII.
APUD HÆREDES BARBIELLINI
AD FORUM PASQUINI.

SUPERIORUM PERMISSU.

BENEDICTUS MONALDINUS BASILIANUS

Illustrissimo, & Reverendissimo D. P.

ALEXANDRO AGUADO

Doctori Complutensi, & Nostri Ordinis

ABBATI GENERALI

FELICITATEM.



TILITAS, quam ex tua ad Clariss. Virum *Cajetanum Cennium* super Antiquitate Monachatus in Hispania erudita Epistola capere sperabam, me impulit, ut vel Hispanicæ linguæ rudis, eam in Latinum sermonem convertere conarer. Nec animo concepta spes me fefellit; Etenim & aliquantulam ipsius linguæ, quam ignorabam, notitiam sum adeptus, & ex ipsis tuis cogitationibus pari subtilitate, ac firmitate subnixis (quæ duo res subtilitas, & firmitas, faciliùs in plerisque Scriptoribus desiderare est, quam invenire) magna sum voluptate perfusus, & Regularis Instituti rationem profundiùs, quam a plerisque vel ex nostris fieri consueverit, explicatam agnovi. In ea enim opinione jamdudum fueram, Regulare Institutum suaptè conditione unum

 esse,

esse, & non ab homine ullo excogitatum; sed ipso Domino Nostro Jesu Christo Auctore fuisse cum Ecclesia ipsa constitutum; & convenientiùs veteres ex locis, in quibus Deo serviebant, quam ex personis, quæ determinata pietatis exercitia a suis vel Discipulis, vel Sectatoribus, præscripserant facienda, nuncupationem sumpsisse; ipsiusque Basilii Magni prudentiam in scribendis Asceticis tractationibus admirabar, qui ipsius Christianæ perfectionis informationem integram, & absolutam, in suis, ut ipse vocat, definitionibus tradere studuerit, & non hæc, vel illa Christianæ charitatis officia erga proximum determinatè præceperit. Ea siquidem omnia pro loci, & temporis opportunitate, si fieri a Monacho opus sit, ex ipsius definitionibus etiam fiunt, at nulli præ cæteris alligat. Adolescentes instruere, ægrotis inservire, Episcopis adjumento esse, rerum cœlestium dumtaxat considerationi vacare, & cætera hujusmodi, quæ vel negotiosæ, vel otiosæ vitæ religiosa sunt exercitamenta, quibus hac tempestate hunc, vel illum Ordinem ab alio distinguere consuevimus, omnia Magni Basilii Asceticis comprehensa esse, qui ipsa legerit videre poterit; at, ut id dicam quod sentio, Basilii Regula est hujusmodi, ut ipsam Regulares omnes servare teneantur; non ex hoc, quod sit Basilii, sed quod ipsa perfectionis Christianę rationem doceat, quam Regulares universi procurare ex Evangelii præceptionibus, quibus ipsa status informatur conditio, tenentur. Pauca quippe in illis mutationi obnoxia reperiuntur, atque hujusmodi aliqua si inveniantur, non ea sunt, quæ peculiarem, & distinctum Ordinem possint se solis vel nostra ætate constituere, sed

magis

magis explicandæ rei, quæ agitur, gratia proponuntur, quam Basilii auctoritate, ut ita loquar, præcipiantur. Unde meritò Monachalis, hoc est Regularis vitæ Κανὼν, idest Regula ἀντονομαστικῶς a Majoribus nostris appellabatur; ea quippe complectebatur omnia, quæ ipsam religiosæ institutionis naturam sequuntur, non ex humana doctrina, sed ex Evangelicis documentis illi conjuncta. Qua etiam de causa illi aliquid magis determinatum, & speciale mandatum addi posse, ipsa Sancti Benedicti Regula demonstrat; ab ipsa verò vix aliquid posse demi, & contra ipsam nihil posse institui, lectio ipsius manifestè declarat, & quæ subsequuta est Regularum multitudo confirmat. Sed de his satis. Jam verò, Illustrissime, & Reverendissime Pater, qualemcumque interpretationem, ut meæ erga te observantiæ pignus excipias, & si quid peccatum in ea fuerit, pro tua eximia benignitate emendare, ne dedigneris. Vereor quippe, ne ob Hispanici sermonis imperitiam, quam ingenuè fateor, sententiam tuam non sim assequutus, quemadmodum ob Latinitatis inopiam elegantiam illam Castellanam æmulari nec potui, nec verò tenuitatis meæ conscius conatus sum. Verùm ut hoc posterius pro tua singulari humanitate te mihi indulturum spero, ita etiam, atque etiam rogo, ut quidquid in ipsa re intelligenda erratum est, tuo ardentissimo in veritatem amore mihi notum facere velis, neque me in errore aliquo diutius versari patiaris, mihique benedictionem impertiaris. Vale.

Ex Tusculano IV. Idus Martii MDCCLX.

APPRO.

APPROBATIO.

JUssu Reverendissimi P. Fr. Thomæ Augustini Ricchini Sacri Palatii Apostolici Magistri, legi Epistolam *de Antiquitate Monachatus in Hispania*, Auctore Illustriss., & Reverendiss. P. Magistro D. Alexandro Aguado, Sac. Theol. Doctore Complutensi, ac totius Ordinis S. Basilii M. Abbate Generali &c. a Rev. P. Magistro D. Benedicto Monaldini, Monacho ejusdem Ordinis, de Hispano in Latinum idioma translatam, in qua cum nihil repererim, quod Fidei Catholicæ, bonisque moribus adversetur, eam propterea dignissimam censeo publica luce, ad Gentis Hispanæ decus, atque ad majus ejusdem Basiliani Ordinis ornamentum. Romæ ex Ædibus Vallicellanis die 12. Aprilis, Anno Domini 1763.

Joseph Blanchinus Veronensis Presbyter Congregationis Oratorii Romani.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apost. Magist.

D. Archiep. Nicomediæ Vicesg.

IMPRIMATUR.

F. Thom. August. Ricchinius Sacri Palatii Apostol. Mag. Ord. Prædicator.

CLA.



CLARISSIME VIR.



DISSERTATIONES de Antiquitate Ecclesię Hispanæ, quas tu publici Juris fecisti, summa animi voluptate dum legerem, in meas manus incidit Liber P. Scarmalii Monachi Cassinensis, cui titulus: *Vindiciæ Antiquitatum Monasticarum Hispaniæ adversus Cajetanum Cennium*: Quas vindicias unà cum Responsionibus tuis in Litterariis Italiæ Adversariis editas percurri. Hæc inter delatum ex Hispania ad me venit judìcium cujusdam eruditi Viri super illud, quod tecum inter, & Scarmalium, disputatur Argumentum. Hoc tibi transmitto, quo illud accuratè perpendas. Illius enim judicii Auctor in Hispaniarum Historia versatissimus cum haberetur, Regni Valentiæ Chronista Generalis electus fuit. Ipsi nomen *Augustinus Sales*. Hunc de facie mihi minimè notum, ex frequenti Epistolarum commercio notissimum habeo, atque hominem doctissimum esse non dubito.

Quamquam Instituti mei ratio Scholasticis Theologiæ studiis tribus & quadraginta ab hinc annis me in Salamantina Universitate, & Complutensi addixerit, in qua Complutensi Academia Doctoris lauream sum consequutus, & publicus Theologiæ Professor fui ab anno 1723 ad annum 1757. Cùm Romam ad Generalia

ralia totius Ordinis Comitia vocatus accessi; nihilo tamen minus feriam Ecclesiasticæ Historiæ operam dare, ut per tempus licebat, necessarium judicavi. Quare quantum ex hisce Historiæ studiis conjectura capere datur, Dissertationem tuam omni laude eò dignam judico, quod maturo judicio usus, extra documenta, quibus necessariò Historia niti debet, non excurras. Hispaniensium enim Conciliorum auctoritatem, & probatissima monumenta adhibes. At Pater Scarmalius ex amore, quo suos Collegas prosequitur, argumentum tractat. Hos ego ut doctos, & eruditos esse libenter fateor, ita pia, & religiosa, ut ita loquar, ambitione duci, ad propriæ familiæ dignitatem augendam, censeo. Benedictinam Familiam pluribus de causis, & veneror, & colo, diligo etiam præsertim, quod plurimis, suisque dignitàtibus decorata, mendicatis aliunde honoribus non indigeat. At veritas Soli jure merito comparatur, qui etsi quandoque nubiletur, nitidissimus tamen suos semper orbes conficit, quin nubium vapores Solarem molem valeant vel inficere, vel penetrare, imò interpositam nubem ipse sua luce disjicit, & manifestat. In hunc fermè modum veritas, & suos ostentat radios, & erroris detegit obscuritatem.

Id, Vir Clarissime, satis modesta Responsione declaras illis, qui suas ratiocinationes ex firmis, & stabilibus monumentis eliciunt. Porrò doctissimus *Sales*, optimè constitutis fundamentis, suam excitat sententiam, quod raro admodum Scriptoribus de rebus patriis differentibus contigit. Sæpè enim partium studio abrepti eò conatus suos dirigunt, quò præconceptus generis sui amor impellit; quod certè plerosque deturpasse novimus. Ex ea vero re summum impedimentum, nedum Historiæ, sed & Juris prudentiæ, ipsique practicæ Theologiæ afferri solet, quæ bene dìspositam animi facultatem illam, quam συντήρησιν Græci vocant, requirunt. Siquidem error ex deductione oritur, quæ aliquìd falsum principio universali, vel particulari conjungit; quod subtiliter explicavit Angelicus *De verit. qu.16. & synderesi artic. 2.*

Cum

Cum in plerisque, quæ Regularem, aut Ecclesiasticam disciplinam respiciunt, tum maxime in illis, quæ ad antiquitatem Monastici Instituti in Hispania spectant, vocum ambiguitate nonnulli decipiantur Scriptores: Etenim dum vocibus hac nostra ætate receptis utuntur, ut veterem illam, sive Ecclesiæ universæ, sive ipsius Monasticæ vitæ disciplinam exponant, etiam nomina sequentium sæculorum ad primævam illam antiquitatem significandam traducunt, hoc quidem nedum in Historia intelligenda confusionem, sed & aliquando adversus ipsius Catholicæ fidei dogmata errores parere potest. Quare ut res accurate distinguantur, & nominibus pro temporum conditione utamur, oportet, ut enim vetus proverbium fert: *Distingue tempora, & concordabis jura*. Rem exemplo declarare placet: Episcopi nomen jam nunc in Ecclesiastica Hierarchia gradum, nedum ab Ordine Presbyteratus, re, & nomine distinctum, sed & eo majorem declarat. Si hoc nomen, ut primis Ecclesiæ temporibus fiebat, usurpare velimus, in errorem contra statutum Ecclesiæ dogma incidemus. Quare ad schisma, confusionemque evitandam, oportuit, ut distinctis nominibus cujusque Ordinis, & gradus forma explicaretur. Forma videlicet Episcopatus, quæ in Apostolorum dignitate exprimebatur: Presbyterorum vero forma, quæ in duobus & septuaginta discipulis obumbrabatur. Si Græca vox Πρεσβύτεροι, quæ Latine seniores diceretur, (ut in Monasticis Regulis non raro adhibetur) & quæ Sacerdotibus atque Episcopis prioribus Ecclesiæ sæculis tribuebatur; Si ea vox, inquam, hac tempestate sine ulla distinctione simplices Sacerdotes, & Episcopos designaret, qualis perturbatio, ubi de Hierarchia loqueremur, oriretur? Etenim antiquis illis Monachis fermè omnibus vel Episcopatus, vel Presbyteratus Ordinem tribueremus, aut Episcopatum cum Presbyteratu confunderemus, quod certè error esset intolerabilis. Tunc nomen illud ex analogia Episcopis, Presbyterisque attribuebatur, & distinctas plane res significabat, nec ex æquo utrisque conveniebat.

bat. Hoc exemplum pluribus argumentis convenienter potest aptari; quo Ecclesiæ Hierarchia intelligatur, & nobis lux affulgeat ad ea diligenter distinguenda, quæ primitivis Ecclesiæ sæculis, licet re essent distincta, distinctis tamen nominibus non significabantur, & postea factum est.

Ecclesia est corpus mysticum fidelium Jesu Christi sub lege gratiæ, ipsiusque Jesu Christi Vicario, qui caput unicum hujus corporis est, subjectorum; qui Christi Vicarius est ipse Romanus Pontifex, Sancti Petri successor. Principio in Ecclesia universa Hierarchia in Apostolis, in Discipulis, atque in Fidelibus, fidei, charitatisque vinculo conjunctis, & ex regeneratione Baptismi charactere signatis, re ipsa continebatur. Ibi & ipsi status perfectionis in Ecclesia, scilicet Religiosorum, Episcoporumque status, quorum officia, & gradus, & ordo deinceps distincta suis nominibus fuere, certissimè reperiebantur. Nec tamen nova nomina rerum novitatem induxere; sed antiquissimis dumtaxat rebus, claritatis, distinctionisque causa, nova vocabula fuerunt accommodata; unde novitas (Scholæ phrasim adhibeam) non est ex parte rei significatæ, sed ex parte dumtaxat significationis. Hujusmodi observationis defectus multas falsas opiniones, & errores creavit. Ad Nicænam usque Synodum primam non ea erat verborum distinctio, quam rerum ipsa conditio requirebat; deinceps vero Spiritu Dei ducta Ecclesia, eam vocum distinctionem temporum opportunitate exigente declaravit. Perfectionis status, officia, & dignitates Ecclesiæ, rectè, distincteque consideranda sunt; quemadmodum quid sit actioni, vel contemplationi addicta vivendi ratio, quæ ipsis vel Officiis, vel Dignitatibus respondeat, accuratè distinguere debemus, ut & perfectionis statum, qui professores suos sive consecratione, seu potius benedictione perpetuo ligat, ex quo immobiliter in eo statu quis constituitur. Qui duo habentur in Ecclesia perfectionis status, sunt, inferior unus, qui Regularium est, qui ea tenetur impedimenta vitare, quæ acqui-

ren-

rendæ perfectioni adversantur ; Supremus alter, idemque consummativus, qui Episcoporum est, nedum ut perfectorum, sed ut perficientium fideles Jesu Christi. Ab ipso Ecclesiæ exordio utrumque statum illum Ecclesia habuit, & quamquam priorum exercitationes per quatuor fermè prima Ecclesiæ sæcula variis subinde mutationibus fuerint obnoxiæ, semper tamen idem fuit status ex Evangelii Regula constitutus, & informatus. Majorem vero, minoremque splendorem, & claritatem habuit, prout vel Regum persecutiones, vel hæreticorum perturbationes sinebant. Ac in eo statu res fuit, donec Religiosus Ordo, sub initium Monasticus appellatus, illam certorum, ut ita dicam, corporum diversitatem, & distinctionem obtinuit; scilicet cum particularibus destinatæ finibus Congregationes exortæ sunt, quales posteriori ætate institutæ Religiones fuerunt, quæ auream Ecclesiæ vestem mira varietate circumdederunt, ipsique magno adjumento, & utilitati fuerunt. Hæc sane ex fine distinctio nullam in eo, quod rei substantiam spectat, unam ab alia secernit. Ne vero varietas ea nimium aucta confusionem, & perturbationem pareret, sapientissime Ecclesiæ Pastores statuere, ut quæ particularia Instituta Religiones formabant, votis se obligarent sub una ex quatuor antiquitus probatis Regulis, atque hinc privata quædam studia inter harum Religionum Professores oriri potuere. Scriptores vero, nec rari, dum quid statum ipsum, quid nomina, vocesque suæ Congregationis respiciat, non exacte distinguunt, confusionem plurimam in inquirenda veritate de veteri Ecclesiastica disciplina induxere, præsertim quoad ea, quæ & status, & gradus, & Ecclesiæ officia spectabat.

Religiosus status, jam ab ipso Christo, & ipsius Apostolis origine ducta, per quatuor illa priora sæcula in Ecclesia semper idem omnino fuit, ipsa Evangelica Regula tectus, & informatus. Varias dumtaxat ipsius Professores appellationes sortiti sunt, quas tamen omnes temporum progressu Monachi nomen delevit. Unde factum est, ut Monachorum Ordo omnibus Or-

dinibus, qui deinceps sequuti sunt, cum quadam distinctione fuerit prælatus. Vocabantur primo Therapeutæ, Gnostici, Spudæi, Eunuchi, Spadones, Ascetæ, Philosophi, Monachi. Et Nazianzenus noster in *oratione* 19. Nazaræos dixit. Erudite id tradit Philo de vita contemplativa. Clemens Alexandrinus *lib*.4. *stromatum lib*. 2. *Pædagogi cap*. 12. Eusebius *lib. Histor cap*.7. Et quidem Clemens Alexandrinus *lib*. 3. *stromatum*, ubi de Eunuchis agit, Philo, & Sozomenus, Philosophos vocant, quemadmodum & Magnus Basilius, & Joannes Chrisostomus sæpissime faciunt. Ascetę vero, & Monachi nuncupatio frequentiori in usu fuit apud Philonem, Dionysium Alexandrinum, Eusebium, Tertullianum, & Magnum Basilium, ita ut ista duo posteriora nomina semper duraverint, atque sæculo ab usque quarto statui Religioso peculiaria facta fuerint. Qua de causa & habitationes suas Asceteria dixerunt, id est domus Religiosis exercitationibus destinatas; cultus vero, & exercitatio Monastica dicta fuit Ascesis, quemadmodum sæpissime in sua Regula idem Magnus Pater noster Basilius facit. Monachi vero nomen ita firmiter ab ætate nostri Patriarchæ ad Religiosos viros denotandos usurpatum est, ut omnia antiquiora illa nomina ab usu removerit. Per ea sæcula, quæ Magnum Basilium antecesserunt, Monachi illi, quos vario, & incerto nomine diximus appellatos fuisse, cum diversis in regionibus sua fixissent domicilia, a loci, quem incolebant, nomine vocabantur, ibique ex traditione accepta a majoribus, qui eos cœtus texerant, vitæ rationem instituebant, sæpe etiam peculiarem quamdam, &, ita dicam, domesticam methodum, seu directionem habebant, qua regerentur; sed nulla erat, seu magistralis, seu legitima auctoritate constituta Regula, præter Evangelium, in quo Consilia perfectioni acquirendæ accommodata proponuntur.

Celebres fuere Arseniotæ ex Arsinoe Ægypti Urbe, juxta quam degebant, appellati. Hi mores, & instituta Sancti Antonii sequuti sunt, quibus pro Regula utebantur, quod Magnum

Atha-

Athanasium impulit, ut gesta Beati Antonii literarum monumentis consignaret. Nitriotæ ex Nitria Alexandriæ Urbi loco viciniori, in qua ex traditione Ammonii viri magni nominis, & virtutis vivebant. Scitiotæ ex Scethe Monte, in quo morabantur, dicti fuere. Horum Auctor, & ductor Macarius Alexandrinus, Urbanus cognominatus, quo a Magno Macario Beati Antonii discipulo distingueretur. Tabennesiote famosum in Ægypto Monachorum genus Pacomium Parentem, & Ducem habuere, qui horum Monachorum domesticum, seu familiare regimen accommodata exercitationum distributione regulavit. Separatim sua quisque cella vivebat, semel, aut iterum per hebdomadam conveniebant, de rebus necessariis, oratione scilicet, & contemplatione, manuumque operibus, quibus occupabantur, collaturi. Communior hæc, & magis usu recepta, & laudabilior vivendi ratio, quæ inter illos quatuor priorum sæculorum Monachos floruerit, & hæc quatuor celebratissima per id ætatis Monachorum genera fuere. Sane in pluribus mundi partibus sine ulla dubitatione id hominum genus una cum Christiana Professione natum permansit; Profitebatur quippe Perfectionis statum in Ecclesia; Et Spiritus Sancti ductu proprios mores ad Evangelica consilia conformabat. Nec si inter suscitatas a Gentilitate tempestates, & persecutiones Ecclesiæ, certam, & stabilem vivendi regulam non conservabat, qua ad permanendum immobiliter in eo statu compelleretur, ut suapte natura fieri oportebat; vivebat tamen eo, quo poterat, meliori modo Religiosorum instar, quos Monachos dicimus, ut ex Conciliis in Hispania celebratis per illa priora sæcula colligitur, etiam temporibus illis infelicissimis, quibus Constantinopoli profecti Ariani, & Gothi, Hispanias invaserant. Plures tunc in Hispaniam ex Oriente, ac maxime ex Græcia Ritus, quemadmodum in ipsam Liturgiam invecti, ut vetus Mozarabicum Missale demonstrat, sic in ipsum Monachatum inde mores comportati.

Idem ferè in Gallia factum est, atque in aliis Christiani Orbis

par-

partibus, ut ex eisdem Conciliis, si quis maturè consideret, facilè comperiet, cum aliqua Concilia, in Hispania præsertim, virorum, fœminarumque Monachatum stabilire procuraverint. Quamquam verò constet, Presbyteros, & Monachos nonnumquam indiscriminatim acceptos fuisse; id tamen evincit Sacrum illum Ordinem, aut Presbyteratus gradum, minimè a Monachorum statu indistinctum fuisse, sed solum non fuisse omninò sejunctum. Neque enim unquam Monachatum inter, & Sacerdotium ulla intercessit oppositio, quinimo convenientia quædam semper fuit, quam parum animadverterunt nonnulli Authores, qui rusticam quamdam Monachorum speciem sibi finxerunt, quæ necessario Sacerdotali Ordini opponeretur. Hinc factum est, ut putarentur Monachi suaptè natura, & ipsius status, quem profitentur, conditione, fuisse initio rustici homines, & ab hominum societate prorsus segregati, veluti ipsissimi solitarii, aut Eremitæ. Nec animadvertere illi voluerunt, id cum ratione status Religiosi minimè posse conciliari. Hæc vero opinio ex quorundam Solitariorum consuetudine, qui Monachos sese vocabant, ut & cæteri Religiosi viri, ortum duxit; At ea vel præjudicatæ animi conceptioni, vel intelligentiæ defectui adscribi debuit. Sicut enim Ecclesia cœtus hominum est charitatis vinculo unitorum sub obedientia Supremo Ecclesiæ Pastori exhibita; ita Religiosorum Ordo status perfectionis est in ipsa Ecclesia, unitiva charitatis communicatione conjunctus, & sociatus, ad acquirendam perfectionem suos Professores excitans, ut revera tenerentur, maximè adscripti, ut decet, plenam, & absolutam facere suarum facultatum abdicationem, imò & sui ipsius abnegationem, ex solemni trium Evangelicorum consiliorum voto, & promissione. Compertum quippe est, privatam, ac veluti personalem solitudinem, quandoque ex obedientia determinatam fuisse nonnullis, quos ad sublimem quamdam, & eminentem contemplationis apicem, inspiratio Omnipotentis provehebat, donorum plenitudine communicata illis, quos Deus speciali

ciali favore prosequebatur. At hoc nedum rarum est, sed &, quo in statu Religiosorum inveniatur, oportet, ut subditus Superiori subjiciatur, qua in re societatis, & unionis, & communicationis vitæ clarissimè ratio perspicitur.

Quo vero notionem illam perfectionis status peculiarem, & propriam intelligamus, quæ Religiosos comprehendit, ut inferiori in statu constitutos, si cum consummativo Perfectionir statu, qui Episcoporum est, conferatur, satis est si legatur Sanctus Dionysius *Cap.* 5, *&* 6. de Hierarchia Ecclesiastica, cujus verba refert Angelicus Doctor *in* 2. 2. *q.* 174. *art.* 5. Dicit enim, de Religiosis verba faciens, vocatos a quibusdam Therapeutas fuisse, idest *Dei famulos ex Dei servitio, & famulatu, alii verò Monachos ipsos nominant ex indivisibili, & singulari vita uniente ipsos ex indivisibilium sanctis convolutionibus, idest contemplationibus, ad Deiformem unitatem, & amabilem Deo perfectionem.*

Decernit itaque eximius hic Doctor, eam obligationem in illis induci ex certa sive professione solemni, sive benedictione: unde clarè deducitur, Religiosorum statum jam inde ab initio fuisse hominum cœtum perpetua societate junctorum ad perfectionis acquisitionem; in quo ipsa Religiosi status substantia, sive characteristica intelligitur, & ex obedientiæ voto arctior illos, quam cæteros Christi fideles, obligatio adstringit, ut Romano Pontifici subjiciantur, & pareant. Quatuor prioribus Ecclesiæ sæculis, cum nondum authentica Regula haberetur, quæ generatim singula media determinaret, quibus adstricti homines votorum observantiam exactius curarent, paulò obscurius videbatur esse id, quod ad Religiosum statum pertinebat. Magnus ille Ecclesiæ Doctor, & nostri Instituti Auctor Basilius, hanc Ecclesiæ Dei servitutem exhibuit quinque compositis tractatibus, quibus totam Regularis observantiæ summam complexus est, quos Ascetica nominavit; tum quia de ipsius perfectionis exercitiis scripsit, tum quia methodum fixam, & ratam pietatis exer-

exercitatoribus, ſive Aſcetis, quos Monachos etiam dicimus; ipſique Religioſo ſtatui præſcripſit. Ex eo tempore Religioſi viri convenienter Regulares dicti ſunt ex ipſa Regula, ſeu Canone perpetuo, quem authentice Sanctiſſimus ille Pater promulgavit. Unde etiam ſuis in libris Regulares, ſive Canonicos, illos vocat Religioſos, tum qui in Coenobiis degentes communem vitæ rationem tenebant, tum qui ab hominum ſocietate penitus ſequeſtrati, ſolitudines incolebant; ex quo diſtinctio hæc, quæ ex habitatione, ſive in Cœnobio, ſive in Eremo deſumitur, exercitia, non ſtatum ipſum reſpicit. Hac de cauſa in Canonibus, quos ad Sanctum Amphilochium ſcribens digeſſit, *canone* 2., ubi de ſtatu Religioſo agit, decernit a Monachis claram, ſive expreſſam votorum profeſſionem eſſe faciendam ea cum ſolemnitate, quam in ſua Regula præſcribit. Sic enim *can.* 2.
„ epiſtolæ ſecundæ ſcribit: „ Ἀνδρῶν δὲ ὁμολογίαν οὐκ ἔγνωμεν,
„ *πλὴν εἰ μήτινες ἑαυτοὺς τῷ τάγματι τῶν μοναζόντων ἐγκατεριθ-*
„ *μησαν· οἱ κατὰ τὸ σιωπώμενον, δοκοῦσι παραδεδέχθαι τὴν ἀγαμίαν·*
„ *πλὴν καὶ ἐπ᾽ ἐκείνων, ἐκεῖνο, ἡγοῦμαι, προηγεῖσθαι προσήκειν, ἐρω-*
„ *τᾶσθαι αὐτοὺς, καὶ λαμβάνεσθαι τὴν παρ᾽ αὐτῶν ὁμολογίαν ἐναργῆ,*
„ *ὥστε ἐπειδὰν μεταπίθενται πρὸς τὸν φιλέσαρκον, καὶ ἡδονικὸν βίον*
„ *ὑπάγειν αὐτοὺς τοῖς τῶν πορνευόντων ἐπιτιμίοις*. Quod ſic Latinè vertitur: Virorum autem profeſſiones non novimus, præterquam ſi qui ſeipſos Monachorum Ordini adnumeraverint; qui tacitè videntur Cælibatum admittere: Sed in illis quoque illud exiſtimo præcedere oportere, ut ipſi interrogentur, & evidens ipſorum accipiatur Profeſſio; ut poſtquam ſe ad libidinoſam, & voluptuariam vitam converterint, eorum, qui fornicantur, punitioni ſubjiciantur.

Ductus ad id ſtabiliendum fuerat Baſilius, quod animadverterat Religioſos viros tacita dumtaxat profeſſione fuiſſe adſtrictos ob id, quod ſe in Monachorum Ordinem conſcripſerant, quod propriè, & exquiſitè, rationem ſtatus non videbatur induce-

ducere, cum, si defecissent, nulli certæ; & determinatæ pœnæ subjicerentur; Unde Natalis Alexander *seculo* 4. *cap*. 6. confirmat, solemnem, sive expressam Professionem ante Magnum Basilium usu receptam non fuisse. Eadem de causa Pius II. in ea Constitutione, quæ incipit: Quamvis de cunctis: expedita apud Sanctum Petrum anno 1640. Nono Kalendas Februarii, de Ordine S. Basilii loquens dicit: *Cæterorum Ordinum quasi fons, & origo fuit*.

In eundem ferme modum Sacerdotii, & Monachatus conjunctionem Anno 384. S. Siricius Papa declaravit, decernens Monachos posse ad Sacerdotii gradum promoveri. Etenim Sacer iste Ordo a statu Religioso separari non debet. Quoniam verò in Oriente Presbyteri castitatis legi in Sacri Ordinis susceptione non subjiciebantur, ut in Occidentali Ecclesia servabatur, decretum in Oriente fuit, ut Episcopi a Religioso statu assumerentur, qua in re Angelicam, continentemque vitam, illi tenuisse videbantur.

A quarto Ecclesiæ sæculo ad tertium usque supra decimum absolutam, & integram Ordinum diversitatem Religiosos inter non invenio; & quamquam nono sæculo aliqua jam diversitas appareat, adduci tamen non possum, ut plenam, & perfectam diversitatem fuisse credam, cum adhuc unus Monachorum Ordo esse crederetur. Nam officia, quibus Ordines modò distinguuntur, communia Monachis erant. Et, si aliqua peculiaris diversitas desumi debet ex Sacris Officiis, ut propriè, & congruenter Religioso cuipiam statui convenientibus, ut est in sacris, divinisque rebus exerceri, ea peculiaris nota præ cæteris omnibus Basilianæ Familiæ convenit. Quare si Religiones in distinctos Ordines separentur, principem locum obtinere debet ea, quæ S. Basilium Parentem habuit, & quam ex ipsa Regula a cæteris distinctam esse ego arbitror. In hoc enim Instituto Monachi votorum Professionem ex Regula emittunt, quæ utique vota omnia Christianæ vitæ officia ad perfectionem conducentia, comple-

plectuntur, amoris scilicet exercitium erga Deum, & Proximum, prout unusquisque ex nostris Monachis alicui pietatis operi aptus est, atque idoneus a Superiore judicatur; cum ex Regula ad eas exercitationes obeundas teneantur, quas Superior, tum vitæ contemplativæ, tum activæ, convenientes esse arbitratur. Aliæ verò Religiones ex particularibus, determinatisque finibus, id, in quo ab aliis distinguuntur, desumunt; quoniam cum deinceps fuerint institutæ, suis certis finibus, & legibus fundamentalibus circumscribuntut, quo respexit Ecclesia *in Decretali illa de Religiosis domibus in Cap. Ne nimia Religionum diversitas*, ab Innocentio III. edita, qui ita præcepit: „ *Probibemus, ne quis de*
„ *cætero novam Religionem inveniat; sed quicumque ad Religio-*
„ *nem converti voluèrit, unam de approbatis assumat: Similiter*
„ *qui voluerit Religiosam domum de novo fundare, Regulam, &*
„ *Institutionem accipiat de approbatis.*

Tertio decimo tandem sæculo visa in Ecclesia fuit propriè dicta Religionum diversitas; Superioribus verò sæculis ad decimum usque & undecimum præsertim notabilis aliqua, & bene fundata diversitas non invenietur, quamquam materialis, sive localis distinctio quædam utcumque comperiarur, quæ inde oriebatur, quod in quibusdam Monasteriis peculiares quidam ritus, & mores servarentur, qui in aliis non observabantur, quemadmodum variæ sæpenumero consuetudines, in diversis ejusdem Regni Provinciis diversæ, notantur: Hos usus, quidam, sed minus aptè, Regulam unius Monasterii, vel plurium vocaverunt, & hinc multæ ambiguitates exortæ. At per illa sæcula jam inde a medietate sæculi quarti Monachi iidem omninò erant, qui Regulares, ex Monastica Regula, sive ex asceticis authenticis S. Basilii Magni, ut ex Oecumenicis Conciliis ea ætate in Oriente celebratis perspicitur, si certè Græcam Linguam intelligamus. Id verò, quod eos privatos hujus Monasterii, vel districtus usus determinabat, Τυπικόν, quod ordinarium, sive directorium verti potest, apud veteres vocabatur. Regula verò, quæ Κανών a Græcis

Græcis dicitur, ea erat authentica forma, ſecundum quam Profeſſio Aſcetica emittebatur, unde Regulares conſtituebantur, & propriè dicti Monachi. Itaut in Hiſpania, tum in aliis regionibus, quæ variorum Monaſteriorum dicebantur Regulæ vatiis Auctoribus attributæ, videlicet Sanctis Columbano, Iſidoro, Fructuoſo, & aliis, quas in Regularum Codicem Lucas Holſtenius redegit, convenientius vocarentur Typica, ſive conſuetudines, quam Regulæ. Qua de cauſa Eccleſia ipſa in Jure Canonico quatuor dumtaxat Regulas authenticas recognovit, Baſilii ſcilicet, Auguſtini, Benedicti, & tandem Franciſci, utpotè Eccleſiæ auctoritate comprobatas.

Si titulus trigeſimus Canonicarum Inſtitutionum, quas de mandato Summi Pontificis Lancellottus digeſſit, cum ipſis Decretalium titulis conferatur, de ſtatu Monachorum, & Canonicorum, de Religioſorum domibus, de Cappellis Monachorum, validam capiemus conjecturam, & ſatis firmam, ut dicamus propriè, & antonomaſticè, Monaſticam Regulam primitivam, & authenticam eſſe illam, quam dedit S. Baſilius, qua clara, & expreſſa trium votorum Profeſſio fuit conſtituta, unde factum eſt, ut iidem & eſſent, & dicerentur Monachi, aut Regulares: Itaque Monachi nomen idem omninò ſub medietatem quarti ſæculi ſignificare cæpit, ac Regularis, quia juxta Baſilii Magni Regulam ſtatus Monaſticus ad trium votorum religioſam profeſſionem, quam Regula præſcribit, obligabatur. Sic Jus Canonicum præcipit, ut is, qui monaſticum habitum recepit, poſt annum probationis expreſsè profiteatur, ſe velle obſtringi Regulis Monaſterii. Hæc profeſſio expreſſa vocatur, quia clarè, & apertè hanc obligationem Baſilii Regula inducit: Tacita verò Profeſſio ea eſt, ex qua per ſufficientes, & idoneas conjecturas appareat, aliquem velle perpetuo Deo in Religione ſervire, & vitam monaſticam agere; quæ eadem eſt, ac regularis vivendi ratio, ſive ipſa votorum profeſſio, quam diſſertè Baſiliana Regula faciendam eſſe præſcribit.

Monachi in Hispania verè Regulares erant; vel antequam suam Regulam dedisset Divus Benedictus, præsertim post medium quarti sæculi ad medietatem sexti. Compertum sanè est, quosdam Clericos habitum, & nomen Monachorum usurpasse, cum Monachi non essent, idcircò in trigesimo Institutionum Canonicarum titulo dicitur: *Unde & Toletano Concilio inductum est, ut Clerici, qui se fingunt habitu, & nomine Monachos, & non sunt, corrigantur, & veri Monachi fiant.* Quia authentica Basilii Regula, qua jamdiu regebatur Monachorum status, idest status proprie dictus Regularis, solemnem votorum Professionem exigebat; quæ quidem vota, ut habetur *titulo* 33. *cap.* 6. *tertii Decretalium*, ita sunt annexa Regulæ Monachali, ut contra ea nec summus Pontifex possit licentiam indulgere, Quare omnes Monachi (proprie Regulares ex parte rei) prius quam esset Religionum distinctio, quam supra diximus, erant proculdubio Basiliani, etsi non *contradistinctè*, cum nondum distinctio, & multitudo Religionum esset introducta. Et hoc communi Monachorum nomine censebantur, unde tot ambiguitates, concertationesque molestæ natę sunt, quibus nonnulli Scriptores determinatos Religiosorum Ordines *privative*, & *concrete* distinguere conantur, quod nec res ipsa capit, nec fieri revera potest, donec *formalis* Religionum diversitas demonstretur, quod usque ad inferiora sæcula certe non apparet.

Quemadmodum Ecclesiæ initio Christiani homines, ut humani imperii tyrannidem declinarent, ad montes confugiebant; ita in pluribus Orbis partibus, maximè vero in Hispania, sese in remotas solitudines, Arrianorum hæresi sæviente, recipiebant, ubi quasdam ædiculas, sive Oratoria ædificaverunt, quæ res deinceps plurimam peperit confusionem, tum per ea tempora, quæ Hispaniarum vastationem præcesserunt, cum per ea, quæ earundem instaurationem sequuta sunt. Hispanorum Principum pietas ita ferventer, & studiosé in hujusmodi Cappellis ædificandis operam posuit, ut sæpissimè in suorum colonorum gratiam ambitio.

bitiosa ostentatione eas amplificarent, quo a suis prædiis vicinorum Templorum magnificentia allecti non recederent. Sacræ illæ ædiculæ Castellana voce *Hermitas*, quæ ab Ἔρημος descendit, dicebantur, Latinè vero Sacellum in Eremo. Et qui in sua cella apud hoc Oratorium morabatur *Hermitaño* appellabatur. Ut vero nonnulli Monachi in his cellis inordinatè vivebant, ita deinceps distinctis nominibus vocari cæperunt Eremitani, sive Solitarii, & Monachi, de qua re plures in Hispaniæ Conciliis pro ea Natione, ut in Jure Canonico pro aliis etiam regionibus, habentur sanctiones; nec tamen aut ex monumentis Hispanis, aut aliis colligi potest, tum temporis diversæ, distinctæque rationis fuisse Religiosos illos, quos certa, & firma Regula, Concilia directos fuisse docent. Hæc porrò Regula, quam antiqua illa Concilia tum in Hispania nostra, tum in aliis Orbis Christiani Provinciis commemorant, est ille idem Monasticus Canon, quo a medietate sæculi quarti ad nonum usque sæculum jam inchoatum, Monasteria sive Cœnobia recta fuerunt, absque eo quod formalis particularium Religionum, & Institutorum diversitas, cognosceretur ab Ecclesia. Quamobrem, vir Clarissime, eleganter & erudite confirmas, Regulam Benedictinam in Hispaniam ante nonum sæculum non pervenisse.

Et, si velimus determinatam, particularem, atque, ut ita loquar, *concretivam* diversitatem reperire, quæ Monasticum Ordinem distinguat ab antiquiore regulari instituto, quod antea floruerat, & quod Concilia respiciebant, dum de observantia, & statu Monachali loquuntur; oportet ut ad recentiora tempora veniamus, ut hoc argumentum satis firmo fundamento fulciatur. In Synodis Oecumenicis, quæ per octo ferme sæcula celebratæ fuerunt, a secunda scilicet ad decimam, quam Innocentius II. habuit: nullam aliam Regulam memoratam legimus, quam authenticum illum Monasticum Canonem, quem S Basilii Regulam fuisse judicamus, quia ista expresè nominatur, ipsiusque Auctor Basilius per ea sæcula ab illis Conciliis citatur, ut apertè in septimo

timo Universali Concilio circa medietatem octavi sæculi, sive Nicæna secunda. Hæc Nicæni Concilii Constitutio & sanctio relata fuit a *Gratiano in Decreto part. 2. caus. 18. qu. 2. cap. 21.* in hæc verba = *Definimus minimè duplex Monasterium fieri, quia scandalum, idest offendiculum multis efficitur : . . . : Quæ autem hactenus fuerunt dupla, secundum Regulam S. P. nostri Basilii, & secundum præceptionem ejus ita formentur &c.* In textu Græco sic legitur = Ἀπὸ τοῦ παρόντος ὁρίζομεν, μὴ γίνεσθαι διπλοῦν μοναστήριον, ὅτι σκάνδαλον καὶ πρόσκομμα τοῖς πολλοῖς τοῦτο γίνεται . . . . τὰ δὲ ὄντα ἕως τοῦ νῦν διπλᾶ κρατείτωσαν κατὰ τὸν κανόνα τοῦ ἁγίου πατρὸς ἡμῶν Βασιλείου, καὶ κατὰ τὴν διαταγὴν αὐτοῦ οὕτω διατυπούσθωσαν. = Videatur Canon XX. dicti Concilii Collect-onis Labbean. Tom. VIII.

Eadem ipsa Basilii Regula commendatur in Constantinopolit. tertio, sive in Canonibus in Trullo statutis post dimidium sæculi septimi; in quinto Oecumenico Concilio post dimidium sæculi sexti; & in tractatu Justiniani Imperatoris ad Patriarcham Mennam adversus Origenem, & in Chalcedonense tempore Marciani Imperatoris post dimidium sæculi quinti: quorum Conciliorum omnium sive determinationes, sive locutiones, quæ Monasticum Institutum aspiciunt, eodem modo procedunt. Per hæc tempora Sanctus Leo Magnus, instante Marciano Augusto, Regulam Sancti Basilii pro Ordine Militari Equitum Constantinianorum confirmavit. Animadversio isthæc facit, ut arguamus Provincialium Synodorum, sive Nationalium Decreta, quæ per ea sæcula pro Monachis facta sunt, ex authentico Monastico Canone fuisse directa, quo Oecumenica Concilia ad Monachorum statum dirigendum utebantur.

In Conciliis Hispaniæ (etiam Gothorum temporibus, & deinceps) tam in Toletanis, quam in Bracharensibus, eadem prorsus ratione de Monasticis negotiis actum est, ac in antiquioribus Oecumenicis Synodis; nempe cum perturbationes, & scan-

ſcandala de medio tollere conata ſunt, quæ in Eremitarum converſatione notabantur, quod ſine regula, & ſine obedientiæ ſubiectione viverent: reprobarunt etiam plures Clericos, qui, privatis utilitatibus ducti, ſe Monachos ſimulabant, quod & Monachali Inſtituto, & facultatibus, & auctoritati Eccleſiarum detrimentum afferebat: Decimas ſiquidem uſurpare, Epiſcopalem ſibi auctoritatem in Sacris ædificiis erigendis abrogare auſi ſunt; quos abuſus Bracharenſe Concilium ſecundum de medio tollere procuravit, ſed tamen fruſtra ob temporum calamitates. Quæ res cum ob Saracenorum invaſiones creviſſet, magis creverunt etiam ſcandala, donec ſedente Urbano II Pontifice Max. correcta, & reformata fuerunt; atque etiam Hierarchia Eccleſiaſtica ſuo ſplendori, & auctoritati reſtituta fuit, ut ex *Novellis* 17, & 131. Juſtinianeis, atque ex Jure Canonico, & Concilio Claromontano colligitur. Hac de cauſa cum jam à Saracenorum tyrannide Hiſpania reſpirare cœpiſſet, erecta in Monaſteria fuerunt quædam ex illis, quas Hiſpani vocant *Hermitas*, quibus Parochiale jus annexum multis in locis remanſit. Alibi autem hujuſmodi Eremi Prioratus, ſeu Præpoſituræ obedientiæ duorum, vel trium Religioſorum dumtaxat cum inveſtitura perſtiterunt. Aliæ verò plures ſolum Eremi nomen retinuere ſub regimine, Epiſcoporum, ſive Patronorum. Atque ita eam rem mirabilis quædam convenientia temperavit.

Si hæc ex noſtris Hiſpanis Scriptores aliqui rectè animadvertiſſent, deceptionis, errorifque occaſio externis Auctoribus defuiſset; Id enim principii locum ſumpſerunt, quod Eccleſiaſticæ normæ confuſio reipſa erat, & perturbatio, unde & prærogativas excogitavere ab Eccleſiaſtica Hierarchia alienas. In hac enim, quam dixi Eccleſiaſticam Hierarchiam, Monachi obedientia, quæ proprius monachalis ſtatus character eſt, ſubjectionem continet, ac præſertim eam, quam Monachi debent Epiſcopis exhibere, quoniam cum ipſis comparantur, ut cum perficientibus, vel Perfectoribus, ac Magiſtris. Status quippe Religioſus ſubjectio

jectionem, & discipulatum includit, quo Monachorum ordo se consummativis Pontificum virtutibus acquirendis obligat: Divinis enim Episcoporum illuminationibus instruendi sunt Monachi. Ex quo illud legitima consecutione deducitur, nulla posse ratione suaderi, quomodo potuerint Monachi (vocentur ut libet, vel Eremitæ, vel Cœnobitæ) ullo unquam tempore se ab Episcoporum obedientia eximere; sed nec ipsis Prælatis Regularibus idipsum numquam licuit. Quamquam vero pro temporum conditione introducta fuerit exemptio sive plena, sive ex parte, ab Episcoporum Diœcesanorum jurisdictione; attamen tenentur parere ipsi Summo Pontifici, non eo solum titulo, quo cæteri quique fideles, ut Summo Ecclesiæ Pastori, obedire tenentur ipso divino jure; sed specialiori quadam ratione (præsertim in illis rebus, quæ ad disciplinam, morumque reformationem pertinent) vi ipsius voti. Si cui vero aliter videatur, satis ille declarat, se non probe, & recte callere, quid Ecclesiasticorum statuum propria cuique notio complectatur; sed immutatas, & irreformabiles rerum essentias, & naturas, cum reformabilibus disciplinæ Ecclesiasticæ, & Regularis conditionibus, & usibus, qui postmodum invaluere, confundit.

Ad duodecimum usque sæculum, quo secundum Lateranense Concilium fuit celebratum tempore Innocentii II, tres Regulæ nominabantur, Sancti Basilii nimirum, Sancti Augustini, & S. Benedicti; nec tamen vel ipsi Benedictinæ Regulæ diversitas authentica attributa invenitur, nec in Monastico Ordine diversitas ulla reperitur. Quapropter, etiam si quis velit persuadere, inductam jam in Hispaniam fuisse Sancti Benedicti Regulam ante nonum sæculum, secus ac tu, Vir doctissime, satis fundatis rationibus ductus sentis, & confirmas, numquam tamen evincere poterit, Benedictinos jam tunc peculiare, & ab aliis Monachis distinctum Institutum per ea tempora formavisse. Omnes eruditi, & a partium studiis remoti Scriptores Hispanicarum rerum, una cum docto Ferreras hanc Benedictinæ Regulæ in hoc Regnum intro-

ductio-

ductionem non admittunt, nisi cum Cluniacenses Monachi eam in Hispaniam asportarunt. Tum scilicet cum ex munificentia Hispanorum Regum, qui Galliæ Principibus ob inita invicem matrimonia erant coniunctissimi, plura Monasteria in eo Regno a fundamentis excitarunt, atque huic religiosæ pietati magnitudo, & dignitas Benedictini Ordinis in Hispania accepta referri debet, non secus ac in Galliis, Germania, & Italia.

Nono demum seculo Benedictinus Ordo, ut aliqua ratione ab antiquiori authentico Monachali Instituto distinctus, atque ut Religionis particularis speciem præseferens, celebrari cœpit; atque id ob eam conformitatem, quæ Regulam inter a Sancto Benedicto formatam, & vetustiorem illum authenticum Monachorum Canonem intercedit, ut colligitur ex concordia Regularum, quam Sanctus Benedictus Anianensis compegit, in qua re plures falluntur rerum Historicarum Scriptores. Sanctus hic Benedictus in Palatio Pipini Regis enutritus, Monasterium erexit, in quo Monachos congregavit, *& ex divina jussione..... cum eis vivendi rationem iniit, quæ priscorum Egypti Patrum austeritatem, Sanctique Basilii Instituta rigidiora fere adamussim exprimeret*; ut loquitur Martyrologium Gallicanum tomo primo Pridie Idus Februarii.

Carolus Magnus, quem circa initium seculi noni Leo III. Pontifex Maximus Romanorum Imperatorem constituit, fuit is, qui ob suam magnificentissimam pietatem fecit, ut Monasticus Ordo, & ex nomine, & ex Regula Sancti Benedicti distingueretur, atque eo splendore corusçaret, qui sibi per suam supremam potestatem liceret. Prædiorum enim munificentissimas largitiones Ecclesiæ præbuit, ut Ravennæ Exarchatum, ac cætera, quæ Dei Providentia a Græcorum Imperio distracta acquisierat. Regni successionem inter tres suos Filios divisit, quibus Germaniam, Galliam Parisiorum, & Narbonensem ad Pyrineos usque distribuit. Religiosam paterni animi pietatem tres, Caroli Filii generosè æmulati, Benedictinum Institutum multum

promoverunt. Carolus M. matrimonio sibi jungere Orientis Imperatricem Irenem sedulo procuravit, ratus sic universam Romani Imperii Majestatem se in unum redacturum, quo non adepto, magis ea de causa commotus est adversus Græcos, quos jam circa finem seculi octavi exosos habere cœperat ob id, quod in Francofordiense Concilio acciderat, cui præsens ipsemet Carolus adfuerat, cum scilicet ex ignorantia facti aliter in hac Synodo decretum est de cultu Sacrarum Imaginum, ac definitum fuisse in septima Synodo Oecumenica Patribus Francofordiensibus videbatur. Græci Catholici a Gallis dissenserunt aliquandiu; at tempore Ludovici, Filii Caroli Magni, Galli Græcis Iconomachis se conjunxerunt in Synodo Parisiensi, a qua Romam legati Oratores fuere super exorta quæstione. Summus vero Pontifex apertam, & positivam determinationem Gallis ex sua Pastorali providentia dandam non esse judicavit, veritus ne irremediabile Schisma, quod ex animorum dispositione facile nasci posse prævidebat, reipsa Ecclesiæ unitatem laceraret. Post Irenes aut relegationem, aut mortem, dissensiones perstiterunt, & ut in Capitularibus Caroli Magni, & Ludovici Pii notatum habetur, Monachorum & ritus, & cantus innovari cæpit. Vetus enim ille & cantus, & ritus, qui in Gallia obtinebat, quique a Græcorum more non admodum erat alienus, aboleri cœpit, Romanique ritus inducti, quod Ecclesiæ unitati, & concordiæ fovendæ convenientius judicabatur. Statutum fuit, ut Episcopi Canonicos, & Monachos secundum suam vocationem vivere finerent, & ordinata statui Monastico Regulæ Divi Benedicti observantia, ex cujus præscripto quædam in Concilio Francofordiensi canone secundo fuerant constituta.

Jam inde a sexto seculo in Conciliis Hispaniæ, ad quæ Galli etiam Episcopi nonnulli convenerant (tunc enim Gallia Narbonensis Regibus Hispaniæ parebat) formula illa *a Patre, Filioque procedit*, Symbolo Nicæno Constantinopolitano fuerat apposita. Nono vero seculo Schisma Photinianum erupit, &

for-

formula illa impugnari cœpit. Seculo ſane nono ea rerum conſtitutio Carolo Magno erat, ut opportunior nulla eſſe poſſet, quæ piè, & religiosè Benedictinum Ordinem extolleret, quemadmodum & tres ejus Filii in ſuis Provinciis fecere. Græci ritus penitus exoluere, nomenque illud Authentici Canonis Monaſtici veteris, & Orientalis, (qui ſanè ipſiſſima Baſilii Regula erat) audiri deſiit. Hæc tamen Regula ſemper in Oriente conſtanter perſeveravit in illis Regnis, in quibus Galli non fuerunt dominatî.

In Hiſpania Monachatus authenticus, & vetus, toto Gothorum tempore ſine formali varietate, & diverſitate ad ſeculum uſque nonum viguit, ſive, ut erùditi loquuntur, uſque ad Cluniacenſes. Quare Nationis hujus Scriptores, & maturè docti, & a partium ſtudio alieni, ſemper in ea fuerunt ſententia, Sancti Benedicti Regulam non potuiſſe in Hiſpaniam, imò nec ipſam Galliam ita ab initio introduci eo modo, & ratione, quam ſibi perſuadent Benedictinæ Familiæ vel profeſſione, vel ſtudio addicti. Etenim per ætatem Sancti Benedicti authentica illa Monachalis Regula per Rufinum ex Oriente in Italiam translata, Antonomaſticè, ut ait Holſtenius, vocabatur ipſa Baſilii Regula. Coincius verò aſſerit, ante annum 651. Gislenium Athenienſem Monaſtici Inſtituti in Belgio propagatorem fuiſſe, ante quod tempus Baſiliana Regula a Rufino in Latinum converſa innotuerat, uſuque ipſo obſervabatur in Gallia, ubi fortaſſis illam Sanctus Maurus Magni Benedicti Diſcipulus Sancto Atedio ætate ſuppar detulit. Quid quod Ananienſis ipſa concordantia nos monet, plura ex Baſiliana Regula in ſuam aſportaſſe Sanctum Benedictum, cùm ea ipſi familiaris eſſet, atque exactè ab eo obſervaretur, ſuiſque diſcipulis eam commendaret? Auctor Anonimus vitæ Sancti Eugendi, qui ſexto ſeculo floruit, eadem ratione illam laudavit.

Sanctus Drocthobeus Sancti Germani diſcipulus Baſilianæ Regulæ fuit obſervantiſſimus, quemadmodum ſeptimo ſeculo

Sanctus Philibertus. Certis itaque Historiarum monumentis suaderi non potest, per ea sæcula priora cognitam in Gallia fuisse Monachatus distinctionem, & diversitatem sumptam ex ratione Regulæ Sancti Benedicti, cùm adhuc authentico Monachorum Canone universæ Ecclesiæ communi regeretur.

A seculi quarti medietate ad Carolum Magnum usque ista Benedictinæ Regulæ formalis diversitas, quam recentiores quidam studiosius sibi fingunt, in Gallia nequidem invenietur, si non incertis conjecturis, sed stabili fundamento res ipsa perpendatur. Quare nec evinci potest, Benedictinam Regulam in Hispania viguisse ante Cluniacensium institutionem, è quorum Monasteriis in Hispaniam Monachi profecti plura Monasteria, & Eremos antiquioris Monachatus occupavere, quæ adhuc perseverabant; licèt ob maximam perturbationem rerum, temporumque calamitates, quæ ab Infidelium dominatione acciderant, nimis inordinata, & confusa loca illa essent, & vix regularis disciplinæ species ulla superesset, & creverint Cluniacensium Cœnobia in Cebreros, & Liebana, & Gallæcia, & Legione, ex quibus deinceps Vallisoletana Benedictinorum Congregatio sub Sancti Benedicti Regula jamdudum ex determinatione Concilii Coyacensis præordinata instaurationi Monachatus regulati in Hispania.

Veritas hæc satis clara, & manifesta redditur ex recta Hispaniarum Historiæ intelligentia. Sic Regnante Alphonso VI., qui Toletum restauravit, hujus Metropoleos Archiepiscopus fuit Domnus Bernardus Monachus Cluniacensis, & Abbas Monasterii Sancti Facundi in extremitate Regni Legionis. Quamquam verò per hæc tempora Monachatus sub Sancti Benedicti Regula constitutus majorem in modum floreret, & excelleret in Hispania, & Cistercienses Monachi postea introducti mirum in modum ob regularem observantiam floruerint; non ideò penitus antiquiorem illum Monachatum ex Orientalibus Græcis propagatum deleverunt; ut plures nostræ Nationis Scripto-

res

res defendunt; Imò ad decimum usque tertium seculum perseverasse confirmant in Valentiæ maximè Regno, & aliis in Regionibus, qui deinceps conjunctus, permixtusque fuit cum Benedictino ob eam conformitatem, quam Benedicti Regula cum Basiliana præseferebat. At quoniam Græci constantius Basilianæ Regulæ observantiæ, suorumque rituum conservationi hærebant, cum Carolus Magnus vellet eos ad mores, & consuetudines Latinorum traducere, factum est, ut sensim sine sensu, & nomen, & Regula Sancti Benedicti Latinis conformior moribus dilataretur; semper tamen inter Orientales Græcos floruit, & in quibusdam etiam Occidentis partibus, licet admodum depressa, & obscura, permansit observantia veteris authentici Canonis Monachalis Regulæ Sancti Basilii.

Ex his, quæ dicta sunt, constat, opinionem illam suaderi non posse, quæ adversatur sententiæ tuæ, quam veritate suffultus, judicii maturitate præditus, Monasticarumque antiquitatum Hispanarum peritia edoctus, validissimè tueris. In hoc enim Regno a Gothorum tempestate ad octavum usque seculum, quo Hispania penè concidit, Monachatus quam simillimus fuit Monachis Orientis, quatenus Canonem, sive Regulam, quam Græci sequebantur, sequutus est. Hoc institutum tenuere Sancti Leander, Isidorus, Idelphonsus; qui Idelphonsus in Agalliensi Monasterio professionem Monasticam emisit, quod ita fortasse dictum est a Græca voce Ἀγαλλίασις, ut deliciosissima loci illius amœnitas ipso nomine declararetur, quo in loco situm Monasterium erat, Sanctorum Cosmæ, & Damiani invocatione celeberrimum, erga quos Martyres Orientales omnes, & Græci præsertim, singularem tenuerunt, & adhuc tenent devotionis observantiam. Sanè cum Leander in ipsa Urbe Regia Constantinopoli versaretur, rationem Monastici Instituti, quod Græci sectabantur, miratus, ipsius sanctitate compulsus est, ut in Hispaniam reversus, Monasticam conversationem pro viribus in eo Regno promulgaret. Hoc

idem

idem egregiè deinceps præstitit Isidorus Græcæ Linguæ admodum peritus, quo factum est, ut ipso seculo septimo Hispanus Monachatus elegantissimè regeretur. Utique si horum temporum Monachos peculiari, & proprio nomine distincti Instituti, ut jam nunc usu fieri receptum est, vocare vellemus (quod sanè a moribus illius ætatis alienissimum erat) Basiliani essent appellandi; quoniam substantialiter, & ex parte rei erant, cum expresè, & formaliter, votorum professionem emitterent, qui mos ex Regula, sive Canone Sancti Basilii fuit inductus. Hac autem de re nihil unquam ego contenderem, esset enim de nomine, & voce quæstio, quæ nihil ad Dei honorem, & gloriam conferret, quapropter quod noveram pro veritatis amore apertè protuli, absque eo quod opinionem proderem, & sententiam rectè deductam ex fundamentis apertè constitutis ope ejus laboris, quem læto animo semper subii, quo veritatem assequi valerem, quam Apocryphi quidam Chronicorum Scriptores in nostris Regnis infæliciter obscuraverunt, Argaizium, Patremque Higuera sequuti, & plerosque alios, qui ab hujusmodi fontibus turbulentas aquas hauserunt. Omnes tamen sapientiores Critici eos rejiciunt.

Gratias tibi sanè ago quàm maximas, quod Monasticas, Ecclesiasticasque antiquitates nostræ Nationis, docto, eruditoque labore, unicè semper inquirendæ veritati intentus, illustrare conatus es; qua in re te æmulari nostri generis homines, neque clarissimam eruditionem tuam dedignari; quinimò gratum, & acceptum laborem habere hunc tuum, nobilem æquè, ac proficuum, deberent, etiam si eveniret, ut rebus in majorem lucem redactis, novisque compertis monumentis, argumenta reperirentur quæ contrariam opinionem confirmarent. Quoties enim veritas in lucem profertur, sapientes viri illam amplectuntur, ut sæpè te dicentem audivi, Vir ornatissime, qua in re eximiæ modestiæ tuæ specimen sum admiratus. Ad me quod attinet, ut verus Hispanus, me tibi devinctum profiteor ob ea, quæ in lucem edere

vo-

voluisti, & etiam, atque etiam rogo, ut calamum validum illum, & elegantem ne deponas, sed in Ecclesiæ utilitatem, & ornamentum adhibeas. Sanè quanti te faciam, ipse cognoscere inde poteris, si opportunitatem obtuleris, ut meam erga te observantiam opere ipso valeam declarare. Interim pro tua benignitate molestiam, quam rudis hæc scriptio elegantiæ tuæ allatura est, patiaris oro; licet enim longior illa fortassis videatur, brevior certè illa est, si cum iis, quæ mihi dicenda supererant, conferatur. Tuæ verò mentis acumen, & perspicacitas, ingenuum animi candorem cognoscet, & me citra quarumcumque partium studium, veritatis studiosum inveniet. Cum verò ad meum erga te obsequium exhibendum alio officio parem non agnoscam, Omnipotenti Deo apud Altare commendo, tuique in precibus, & orationibus meis memoriam jugiter faciam, quo diuturnitatem temporis ipse tibi ad veritatis defensionem largiatur, cœlestibusque suæ gratiæ præsidiis tueatur. Vale. Ex Collegio S. P. N. Basilii Magni de Urbe die 25. Aprilis Anni 1759.

Tuus humillimus Servus

Alexander Aguado Basilianorum
Abbas Generalis.

